IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 197r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Vox ecclesie

Anima mea cognoscet quia Non est occultatum os meum a te .i. infirmitas mea interior que est abscondita hominibus tibi non quia omnia nosti sed tu qui perfecisti eam vides quod frangi non potest occidi enim possunt sancti sed flecti nequeunt et substancia mea est in inferioribus terre .i. in carne fragili consisto et tamen os meum cedit malis

Vel: os meum non cedit malis

Vox xpristi

Aliquos in corpore meo fecisti fortes ut ossa et eciam Oculi mie tue et pietatis viderunt infundendo radios gratie tue in imperfectum meum .i. in imperfectos meos quia eciam titubantes respicis ut petrum ne pereant et in libro tuo .i. in me quem dedisti formam iusticie hominibus scribentur .i. instruentur omnes non modo perfecti sed et imperfecti non ergo desperent dies .i. apostoli formabuntur in me a quo perfectione gratie suscipient et meo nominabuntur nomine et nemo in eis formabitur in esse gratie nec ab eis nominabitur ut a petro petrini sed a xpo dicuntur fideles xpiani

Vox xpristi

Sed tamen Valde honorati sunt a me amici tui deus scilicet apostoli quos ad apostolatum vocavi quibus potestatem miraculorum dedi valde confortatus est principatus eorum facti enim sunt principes duces et pastores ecclesie quibus dictum est quecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in celo

Merito confortavi eos quia ego et non alius Dinumerabo eos quos in fide genuerunt et ipsi credentes enumerati multiplicabuntur super arenam .i. super plebem iudaicam que arene dure sterili et infructuose comparatur et hec multiplicatio provenit ex hoc quod surrexi a morte et licet surrectio propria virtute sit signum divinitatis tamen adhuc occultus pluribus apud te quia non est